

101

IMPERATOR CÆSAR
CAROLVS V.
MAXIMVS
PIVS. FELIX. AVGVSTVS.
REX GERMANIÆ,
HISPANIARVM, NEAPOLIS,
SICILIÆ, SARDINIÆ, HIEROSOLYMÆ,
ARCHIDVX AVSTRIÆ,
DVX BVRGVNDIÆ, INSVBRIÆ,
PRINCEPS BELGARVM
MAGNVS MEXICANI, ET PERVANI ORBIS
MONARCHA.



X PHILIPPO Hispanorum, non Macedo-
num Rege nouus sub CAROLI nomine pro-
dit Alexander. Sed quia alios mundos, quos
suspirauit Macedo, superauit AVSTRIACVS,
noui orbis extra veterem victor, Abilam, &
Calpen, quas ille, Herculeum reueritus *non
plus ultra* suspexit vt mundi metam, hic
ipsis fabulis maior, ultra Gades HERCVLES
triumphator, adscripto nouo titulo *plus ultra*
despexit vt carceres, nec Asiam tantum Eu-
ropæ per angustum Hellepontum, sed nouum
orbem veteri per immensum iunxit Oceanum, non magnus dicitur, sed
maximus. Eo etiam titulo supra magnum Maximus dicitur, quia non
sterilis fundator ruituræ secum Monarchiæ fuit, sed fecundus æterna,

MO-

MONARCHARVM HEROVM parens, & Regnatricis ipsa sæculorum coronâ Posteritatis.

*Vnde maxi-
mum titu-
lus in Ca-
rolo.*

Nullus Imperatorum iustius titulum possedit, nullus magnificentius, nullus diuinius, quàm Maximi titulum CAROLVS, quem non blandientis historici calamus adulator, sed summa in terris post diuinam humana vox propè dixerim è cœlo inscripsit. Ipse Summus Pontifex PAVLVS III. ex Senatusconsulto Eminentissimorum Patrum post victoriam Saxonicam, è vaticanâ vicariâ Numinis cortinâ magno nomini CAROLI, Herois, in quo nihil non maximum fuerat, Maximi addidit cognomen- tum. Ingens vnus tituli Maximi suffragium, Pontifex Maximus. Suafit verò supremo Romano Antistiti, sapientissimæque Purpuratorum Prin- cipum Curia, ipsa Saxonia, non nisi triginta annis a Carolo Magno Im- perij Occidentis Conditore subacta, eum CAROLVM qui contractis fere prodigio felicitatis in dies annis, eamde ferocem, atq; ipsius Cæsaris for- tunâ insultantem, capto Regulo, omnibusque, quæ timeri poterant pro- fligatis, debellauit, non magnum tantùm appellari debere, sed maximum. Patieris tamen MARIA ANNA, à qua Austriam, quam CAROLVS vexit, in Hispaniam reuente, novos ex PHILIPPO Monarcha CA- ROLOS sibi orbis terrarum auspicatur, me maximum hunc tuum CA- ROLVM oculis serenissimis exhibentem, quibus titulo minimè men- tiente ad omnium populorum felicitatem irradias, subitario consilio, de Historico in Cosmographum migrare, & punctulis, lineolisque, ac solis su- bactorum regnorum, atq; debellatarum prouinciarum nominibus rerum Dominum, veteris orbis Triumphatorem, nouique Domitorem, palmari sphaera concludere. Eiusdem artis esse debet mundum explicare, & He- roem mundo parem. Non desijt esse miraculum Rhodius Colossus arti- culatim dissipatus in partes, ipsis reliquijs colossæis, aliorum hominum corpora superantibus, mensuramque communem nostræ mortalitatis. Maior visus est Hercules, cum illius digitum non sine spectantium risu, metiebatur thyrso satyriscus, nec æquabat. Exprimi non potest CARO- LVS, nisi cum Orbe terrarum euoluatur, quem suis imperijs rexit, no- mine impleuit, felicitate beauit, gloriâ illustrauit, famâ suspendit, victorijs peragrauit, triumphis pacalut, Pyrrhus in Peloponneso, in Africa Annibal, Scipio in Hispania, in Pannoniâ Traianus, Marcellus in Sicilia, in Ger- maniâ Constantinus, in Italiâ Cæsar, vbique CAROLVS.

*Caroli
Ortus
1500.
24. Feb.*

E PHILIPPO, quem Delicium humani generis, & Amorem suum, orbis terrarum amasius appellauit, videretur CAROLVS bellator prodiens monstrum esse, nisi sciremus amore omnium triumphatore, nihil victoriosius inueniri. Monstrum erit CAROLVS, sed Africa tantum nocens, Europæ non modo innocens, sed beneficum: monstrum ex omnibus virtutibus in vnû conspirantibus, & ex homine Heroem constan- tibus, compactum. Ortu suo superiori sæculo, cum quo gemellus natus fue- rat, auspicia dedit, & iure Austriadum felicissimus, Ascendensq; ad vitam, veluti e Cœlo clarissimus terrarum Dominator, & sui ipsius non tantum, verum etiam sui sæculi fortunatissimus horoscopus. Quid aliud expe- ctari poterat è Patre, qui Amor erat Orbis terrarum, quàm summæ felici- tatis

tatis soboles? Debit etiam anno sanctissimo Iubileo nasci, qui non sine magnâ celi indulgentiâ terris dabatur Religiosissimus Orthodoxe fidei in orbe veteri Propugnator, in nouo Propagator. Aurora primæ ætatis ijs splendoribus non caruit, quæ Austriadum Solem totum, & virum, & senem radiorum penicillo pingerent coloribus suis illustrem. Hanc non teneritudo morum ab alijs ætatibus, sed innocentia distinxit. Quis enim teneros dies, ne dum annos in Heroe inuenire possit? Imò nihil vnquam paruum, præter ætatem, sine iniuriâ appellari in Maximo potest.

Post primâ pietatis tyrocinia sub auspicijs **MARIÆ, MAXIMILIANI** Cæsaris filix, Pulcheriæ Austriacæ, & cum omni Augustarum Heroinarum magno nomine, prudentiæ, & probitatis laudẽ conferendẽ, **Adrianus** Florentius moribus, ac litteris ab Auo Imperatore **MAXIMILIANO** præficitur, Arbiter heroicæ indolis, veluti olim a magno Theodosio Arsenius gemino Orientis, & Occidentis deinde Imperatori **Arcadio, & Honorio**. **Felix** instituitur, qui poterat adhuc spirantibus exemplis auiti maximi **MAXIMILIANI, & Catholici FERDINANDI** Regium Puerum non informare tantum, sed animare ad omnem maximam pietatem. Itã verò probauit omnibus suam docendi rationem **Adrianus**, vt post **CAROLI** institutionem, nullo magisterij gradu inter mortales dignitates inuento, cuius apicem non excederet, collocari debuerit in Vaticanã Cathedrã ter geminã Tiarã laureatus Orbis Terrarum Magister, non nisi oraculis è celi cortinã Dei nomine dicturus, quæ docturus.

Et certè vnde nam tanta scientia, profectusq; religionis in **CAROLO** cum in Vormatiensi contentu coram Principibus Septemuiris, alijsq; Germaniæ Dynastis professus est passurum se potius Germanici Imperij, & Hispaniæ Monarchiæ, orbisq; Austriaci, & Sui, suis Regnis maioris, impendium, quam vllum Orthodoxæ Fidei detrimentum, Itatimque dissentientibus multis Proceribus iccit primum fulmen in hæresim, proscripto sacrilego tenebrione **Luthero**, qui nouus e Saxonia **Paracletus** fanaticam de suo ebrioso spiritu fabricarat Ecclesiam, & de sentinã Tartari, Orbi inficiendo virulenta ructabar oracula? Vnde nam sensus ille pietatis, quo in Africã, insolenti suæ liberalitatis victoriã, viginti millibus captiuorum hominum barbarico iugo liberatis, triumphum egit omnium nobilissimũ de exercitu manumisso, tot ciuicis caelestibus laureatus, quot celi ciues, christiana capita, feruarat. Dignus hinc fuit qui sæculum, quod sibi coniderat recuderet aureũ, cui tanquam liberalissimo Monarche **Tagus** cum Hispaniã Monarchiã vndanti auro, cui argentei Amnes cum Americano Orbe, pleno multorum stadiorum alneo fluerent, imò aurei etiam, & argentei montes in Peruuia & Mexico, cum **Momezuma**, & **Acatabalipa** Peruani, ac Mexicani Imperatoris Thesauris, pendèrentur vectigales. Vnde nam ille tandem cumulus sanctitatis, quo singulis diebus pluribus diuinæ Hostiæ sacrificijs intererat, sub personã Imperatoris, sed Sacerdotis affectu? Quid cum ante Saxoniam victoriam spectans Christum patibulatum ad auctarium iudaici deicidij hæretico flagitio in imagine vulneratum, concepto sacramento, euaginato gladio, Cæsarem patientiæ diuinæ deuouit vltorem, eo ferro, & igne, quo ardebat, se pro

Deo

Pueritia:

*Educatur
sub Adria-
ni Floren-
tij summi
deinde
Pontificis
magistria-
rio.*

*Caroli pie-
tas mul-
tis exem-
plis com-
probata.*

Deo aduersus Cæli hostes, fulminaturum pollicitus? Nec mirum quod tandem victoriâ primo congressu, relatâ, classico statim in plausum migrante, Apophtegma Iulianum à Procere Palatino magnificè prolatum, *CÆSAR venit, vidit, vicit*, ad sensum inaudite pietatis pijsimo trilogio traduxit, & Deo victori Caroli Cæsaris fulmine triumphum decernens, dixit, *CAROLVS venit, vidit: Deus vicit*. O dignam meliori supra Iulianam etiam fortunam auream vocem! O supra etiam auream, (quo nihil maius dici potest) Austriam vocem! An non isthęc summe pietatis prodigia, è summi, ac sanctissimi Antistitis scholâ eruditionem sapiebant maximi Pontificis prope diuinam?

*In augu-
ratur Eli-
spana
Monar-
chia et de
inde im-
perio ger-
manico.*

Imbutam regijs disciplinis pueritiam FERDINANDO Auo ad meliorem, & dignam Catholici titulo vitam translato, Hispanę Monarchie à centum adoratum populis aureum, & gemmeum suarum Indiarum tributis diadema, coronauit, summę potentie, & Catholici nominis apex, superintextâ ex cæsis quadraginta Maurorum millibus iure victorię laureâ triumphali. Magnos sibi, vt solum ex omni parte firmaret, Europe Reges cognationis sacramento coniunxit, Lusitanum, Pannonem, Danum collocatis in matrimonium ELEONORA, ISABELLA, MARIA sororibus; cum iam Anglus CATHARINAM materteram coniugem haberet, & Gallus amicitie vinculo plurimû teneretur. Hinc quia CAROLVM Cælum finxerat omni fortunę parem, post orbem natum, conditaque veteres Monarchias, amplitudine, & numero Regnorum Monarchiam maximum, Imperij etiam Romani dignitatem adiecit, atq; ita septemvitalia suffragia miscuit, vt Auo Cæsari, maximo suo MAXIMILIANO maior, inter Orbis totius plausus succederet. Ab adito Imperio Occidentis tota CAROLI vita laureata, ac palmaris fuit. Nunquam manus conseruit, quin palmas legeret, bellatrice dexterâ, & lauros meteret ense victore. Annos ipsos victoriarum numero superans, suis triumphis plurimum Cæsarum fastos, & sæculorum annales excessit, auctâ interim in immensum ad vtramque solis pueri, ac decrepiti regiam, Austriacâ Dominatione.

*Expedi-
tiones &
victoria.*

Sed quia compendium maximi CAROLI datur, & sola Cosmographica Herois mundo maioris descriptio legi debet, paucis totum Heroem maximum sic explico. Nouem initis in Germaniam expeditionibus, sex in Hispaniam, septem in Italiam, quattuor in Gallias, decem in Belgium, duabus in Angliam, ac totidem in Lybiam & Mauritaniam, Asiâ, Africâ, Europâ, Americâ, magnis quadrifidi terrarum orbis partibus, quâ imperio, quâ gloriâ coniunctis, victorijs Mauricis, Gheldricis, Othomanicis, Hungaricis, Peloponnesiacis, Hetruscis, Lybicis, Numidicis, Rhenanis, Saxonis, Gandauensibus, Gallicis, Germanicis, Italicis inelytus, mari etiam sexdecies remenso, breuem, si tam longâ conferatur rerum gestarum historię, quadraginta annorum regnatricem vitam terminauit, non aliâ quâm circumductâ sæculorum omnium in orbem periodo, ac panegyri, prædicandam. Visus est per Australem, Borealemq; prodigio sarû victoriarû nobile eclipticâ innocentibus monstris splendè belluatam, terras, Oceanumque percurrere, atq; ipso cum Sole contendere; nisi quòd illum loco, hunc gloriâ sublimem triumphalis semper currus agebat.

Non

Non tot stellis australe cœlum accenditur, quot peregrinos splendores no-
 ster AVSTRIACVS in morem illustrium siderum circumtulit. Si vi-
 ctoriarum loca quæris; orbis erit, cum *viçtorid* navi sub ipsius auspicijs ter-
 rarum, mariumq; ambitum ab occasu in ortum emens, cui Argo stellife-
 ra cœlum cedere potuisset, peragrandus. Quid plura? astris quidem fa-
 mam terminauit, sed ultra Oceanum Imperium explicuit, supra ipsa gi-
 gantea poetarum fabularia vota, ventorum limitibus, & cœli zonis, illud
 definiens. Hesperides insulas aureis pomis, & pretioso Autumno diuites,
 intra pomeria Austriacæ Domus clausit: vltimam terris Thulem, & extre-
 ma Gadium claustra inter primos suos portus aperuit, vt ad Magellani-
 cum fretum, & alij cœlo subiecta litora, alio sole calentia, alijs astris illu-
 minata, debellato Oceano, ferocissimo omnium hoste, marium, terrarum-
 que triumphator, appelleret. Vnde non Montes tantum, sed mundum
 fere dixerim aureum Americanum, quem ab eius nomine *Carolinum* voc-
 carunt, per Ferdinandum Cortesium, & Franciscum Pizzarrum Hispani
 Monarchæ Argonautas, maiora fabulis, & Typhis clauo, & Herculis clauâ
 molientes, victum in Potestatem Austriacam, ac tributarium redegit. Su-
 perbiat Pompeius Sagunto, Carthagine Scipio, Syracusis Marcellus, Hier-
 osolymâ Titus: vrbes sunt: Carolus Orbis expugnauit. Audijt à plerisque,
 nec immeritò CAROLVS post omnium Cæsarum Principem C. Iulium,
 Imperatorum omnium, Romanorum, Græcorum, Germanorum victo-
 riosissimus, tanta felicitate de omni hostium genere relatis victorijs, vt
 grauiissimi Chronographi dixerint nemini bellum à CAROLO illatum,
 quem deinde non modo victum, sed vincum non habuerit. Audeo dice-
 re, & Iulium ipsum Cæsarem à Carolo victum; nam quod condidit ille Im-
 perium, hic ad Americanum Orbem explicauit, imò inter Imperatores
 Heros omnes expressit, inter Heroes Imperator, omnes excessit. Cæsare
 felicior Orientem fugauit, Alexandro maior de Occidente triumphauit,
 Augusto potentior veteri nouum orbem subegit, Cæsar Orientis, Alexan-
 der Occidentis, noui Orbis Augustus, confusisque nominibus, ac titulis,
 Hispanus Augustus, Germanus Cæsar, Italus Alexander, communi cum
 alijs, de regnis, & singulari felicitate de ipsis etiam regnorum Victoribus,
 triumphans.

Si CAROLO victori more Romano instituendus esset triumphus,
 infra æternos, fastigium illud mortalium honorum, an non totus ferè ter-
 rarum orbis in vnus Austriaci triumphus pompâ conueheretur? Præiret
 millenis tubis fama Maximi Herois vbique tibicina, quâ celeberrimâ etiã
 apud hostes, Solymano ipso magno Turcarum Imperatore magnificè sus-
 fragante, ita valuit, vt non solum orbem terrarum in admirationem sui ra-
 puerit, sed multis bellis suâ famâ triumphali feliciter confectis, aliqua ex
 parte terruerit, atque domuerit. Occurrerent inter fercula laureata, siue
 Apellæ, siue Phidiacâ arte conditæ mobiles vrbes, in reuerentiam trium-
 phatoris turrata capita submittentes, CAROLI manu partim expugna-
 tæ, partim extructæ. Et quidem CAROLI Cæsaris domitricem poten-
 tiam reueritæ sunt Dura, Gandauium, Mediolanum, Florentia, Guletâ,
 Tunetum, Hipponous, & Regius, Metone, Corone, Aphrodisium; Beni-

*Fam.
Strada.*

*Trium-
phus Ca-
roli in quo
omnia ad
illius bel-
licam lau-
dem spe-
ctantia
enarran-
tur.*

neficientiam, verò moliticem Carolomontium, Phillipopolis, Hefdif-
 fertum, & aliæ innumerabiles vrbes, atque arces, præter Mexicum cogno-
 minis Regni vrhem principem, quam incendio absumptam, ac deinde re-
 paratam, amplificatamque quadraginta millibus priuatarum ædium ex-
 tructis, CAROLI V. *palatium* vocarunt, eius magnificentia æternum
 Augustale. Succederent, maiori mole circumlatæ inter victoriarum lem-
 niscos, curules suis fluminibus, montibus, vrbibus, coronatæ imagines
 prouinciarum, quas vel ferrum CAROLO deuicit, vel sædera deuinxerunt:
 Mauritania superata: Libyæ ora capto Aphrodisio, alijsque dyna-
 stijs expugnata: Insabria sex exercitibus hostium propulsis, tribusque ma-
 gnis pugnis prospero euentu pugnatis, semel Cæsari, bis Sfortiæ Duci red-
 dita: Hetruria Florentinâ Republicâ factionum vulneribus discissâ, impo-
 sito Alexandro Medicæo veluti medico Principe sanata: Genuensis Res-
 publica, Regina Ligustici maris, in suam coronatam libertatem asserta:
 pacata ad celeritatis portentum Gheldria: composita Flandria in vrbe
 Principe Gandauenfi tumultuans: Saxonîa profligata: Peloponnesus su-
 premo regis classis Architalasso Andrea Auriâ, Neptuniâ illâ Prole, de-
 bellata, Metone, & Corone maritimis vrbibus in potestatē Cæsaris reda-
 ctis: Africa sæpius victa: Asia in Solymiano, illo Europæ terrore bis fugata:
 Germania pluribus prælijs subacta: defensa Italia: Hispania seruata: Gal-
 lia sæpius repressa: Europa propugnata: America pluribus stipata regnis
 subiugata: Occidens Oriente prisca religionis illustratus: Oriens, Otho-
 mannica Lunâ sæpius eclipsim patiente, obscuratus. Iungerent se se
 triumphatorum marium, Atlantici, Indici, Libyci, Mauritanî Ionij, Siculi,
 vndantes in auro, despumantes in argento, gemmantes in litoribus cap-
 tiuæ effigies, sequentibus per internalla classium Turcicarum rostris, quas
 altero ad Mauritanæ, altero ad Siciliae litus prælio fregit, domitis Oceani
 rebellantis procellis, alijsque maioribus tonantium, ac fulminantium tor-
 mentorum turbine aduersus hostes excitatis, vbique victorias referens
 amplas in fretis, continentes in fluctibus, stabiles in Euripis, Ipsa etiam
 efferentur magnorum fluminum resupinatis vrnis, fractisque cornibus si-
 mulacra, solido licet ex ære, artis tamen prodigio fluctuantia, Eridani,
 Ilti, Rheni, Albi, aliorumque regionum fluuiorum adhuc alieno sangui-
 ne vulnerata. Adderentur in imagine tantum viuentes Fridericus Saxo
 captus, Philippus Langrauius in ordinem redactus, Monstrum illud homi-
 num Lutherus *Apostata* nequissimus ab Imperij finibus proscriptus,
 Barbarissa, barbaricus Maumethicæ sectæ tyrannus, cum ducentis pedi-
 tum, sexdecim equitum millibus attritus, Solymanus cum Xersæo exercitu
 quingenta, vt aliqui scripsere, hominum millia, per multa milliaria nume-
 rante, fugatus, Archipyrata Draghutus cū exercitissimâ bellis classe de-
 uictus, Americani Reges, coronata deinde mæcipia, Mexicanus Imperator,
 Motezuma, Peruanus Acatabalipa debellati. Congestis in vnum cumulum
 Europæis opibus, Africanis gemmis, Asiaticis spolijs, Americanis thesau-
 ris, qui immani sestertiorum, ac talentorum pondere, magnarum nauium
 dorso premunt, in annuis Indicarum classium expeditionibus, pretiosa
 pompæ spectaculum exhiberetur. Traherentur post Triumphatoris lau-
 reati

reati currum seruili iugo subactæ Hæresis, ac Perduellio, victæ, vincæque, eâdemque vinculorû ferreorum mole omnis istarum furiarum inferna soboles catenata. Clauderent tandem festum agmen, inter signa trophæis coronata, vexilla laureis, palmisque lemniscata, literata CAROLI MAXIMI AVSTRIACI Augusto Nomine labara, bicipites Aquilas vnguibus fulmina ministrantes, atque oculis victorias spirantes, milites ex omni hominum genere laureati. Salutaretur magnis titulis CAROLVS, Africanus, Americanus, Germanicus, Insubricus, alijsque innumeris. Acclamaretur illi omnium vocibus IO VICTOR, IO CAROLE, IO CÆSAR, IO TRIUMPHE! Hem quâtus foret CAROLI triumphus! Si tamen CAROLVS triumphator exhiberi potest, qui de ingenijs etiam omnium scriptorum triumphauit, & conuiciatorem admittere potest triumpho, non laudatorem. Ergo omisso triumpho viuat famâ suâ etiam immortalis maior,

Inque animis hominum pompâ meliore triumphet.

Ad cumulos victoriarum accesserunt ingentia ornamenta, ac veluti trophæa naturæ triumphalis, oris honor serenissimâ quadam maiestate, sine tituli mendacio florens, habitus corporis prorsus militaris, plurimumque Hispanæ patientiæ ad perferenda, Belgici vigoris ad aggredienda, Germani roboris habens ad vincenda belli incomoda, quasi nationes, quibus imperabat, omnia sua decora CAROLO Casari in tributum pensarent. Sed supra fidem fuerunt animi virtutes tantæ fortunæ non impares, & eæ, quæ prodigia censerentur, nisi in CAROLO essent, cui continuata prodigia vitæ stamina texuerunt. Videbatur CAROLI folio insidere constantia, purpurâ flagrare bonitas, coronâ radiare sapientia, sceptro regnare iustitia, corde clementia viuere, ense armari fortitudo, manu liberalitas explicari, oculis humanitas florere, victorijs triumphare religio, omnis virtus imperatrix esse, parente Imperatore, non solum naturæ, fortunæque bonis, sed omnium virtutum magnis nominibus Maximo.

Admiranda fuere omnia, sed alijs alia preferentibus miraculum visa est aliquibus summa felicitas collactanea, & quod rarò accidit, cum ipso Maximo CAROLO senescens. Eadē die, quâ natus est anno seculari, recurrentibus annis, quasi illos cum sæculo sibi iniitasset, omnemque felicitatem dedicasset sui sæculi gemellus, & inangurator, tum Bononiæ a CLEMENTE VII. Pontifice Maximo in omnium Principum Italiæ theatro, populorumque frequentia, Imperatorijs Insignibus ritè decoratus est, atque inter omnium plausus ad inuidiam fere Romanorum triumphorum salutatus Augustus, tum sequenti anno Franciscum Vallesum Galliarum Regem Imperij riualet, gloriæque amulum Lanoio Duce ad Ticinum, Regum Longobardorum Regiam, deleto fere regio exercitu, captiuum habuit.

Alijs prodigij loco fuit, stuporemque incussit potentia. Primus hic extra Septemtrionem Austriam non tantum ad occasum, & ortum, sed etiam ad Austrum, per immensa terrarum, mariumque spatia, imò & intermundia explicuit, vt iam & ex Austriâ procreatrice Austriadum Principum, & simul ex Austro domito Hauspurgicæ gentis Heroes Austrij dici possint.

*Cl. lib. 3.
de laud.
stil.*

Bona corporis animique.

*1500. 24.
Feb.*

Felicitas.

Potentia.

possint. Adoptauit sibi in tesseram suorum consiliorum CAROLVS Cæsar Herculeas Columnas, sed eraso veteri Herculis lemmate de suo plus ultra inscripsit, generosique symboli granditatem factis impleuit. Adiecit Austriacis ferè intra Germaniam regnantibus, deductis in Hispaniam Imperatorijs Heroum Colonijs, amplissimam Monarchiam, tot Regnis vndique coronatam. Et quia eius fortuna veteri orbe capi non poterat, plus ultra Herculis, Liberi Patris, Alexandri, Cæsaris, Heroum, Monarcharum, Imperatorum nobilem metam, Orientem, Occidentem, Septentrioni Austrum, Austriacâ Dominatione coniunxit in vnum fidei, quam Hispano Monarchæ deberent, sacramentum. Accenditur vtriusque solis innocentibus flammis CAROLI purpura: par orbi terrarum circuitus caput coronat: in glacialibus litoribus Oceani, ac terrarum orbis claustris, Ferdinando Magellanico Hispano Argonauta, ad illam Colchidem vectore Typhi, & Hercule victore, firmatur CAROLI sceptrum: in finitima noui ad Occidentem Orientis CAROLO Mundi, partim à Ferdinando Cortesio, partim à Francisco Pizarro, subactis decem, & octo Regibus, ac duobus Imperatoribus Mexicano nimirum, ac Pernano, CAROLI folium stabilitur. Certe dempto Germanico Imperio, alijsque principatibus Austriacis, ea, quæ dotalis PHILIPPI primi CAROLO transmissa est hæreditas, Cosmographicâ decempedâ in solâ Americâ ad septem leucarum belgicarum millia explicatur, in tota deinde sua latitudine Lusitanam etiam dotem CAROLI complectens, Turcico Imperio decies, Romano vicies maior, in amplissimas prouincias ultra orbem veterem, vtramque Indiam, & interminata Regna Mexicum, Peruniam, Floridam, nouam Hispaniam, Castellam auriferam, Brasiliam, Paraquariam, Chilum, Cuscum, & alia innumera, collectis ferè dixerim omnibus terræ partibus ad sua imperia in immensum feliciter protenditur. Et sanè decebat Austriâ Septentrionis Dominam, cui Crux in Rudolpho primo magno pro primigeneo sceptro fuerat, eique in alijs omnibus amor principalis, & Austriaca gloria, sub toto Australi veluti suo patrio celo, & Cruce in Antarctico polo stellante regnare, vt sub angue aquilonari, & australi Cruce, Regina rerum potentia vtramque spectaret, & quam euerit, & quam colit Cynosuram.

*Carolus
abdicans
magnum
nostrorum
seculorū
prodigiū.*

His omiſſis illud cum primis admiſor, quòd abiectâ, preſâque magnanimo pede, tantâ magnitudine mundo pari, & illâ, & Se ipſo maior CAROLVS Cæſar ſtetit, procul dubio iam tum inferens coronatum aſtris caput, cum ſupra mundi ſui, calcatam molem aſſurrexit. Poſt maximam ab orbe condito potentiam quid aliud deerat, niſi vt Calitum vitam Auſtriacus Monarcha traduceret in terris? Quis enim iure poſſit ſibi in animum inducere (quicquid hariolentur malè ominoſi ſemper Politici, de CAROLO abdicante) maximum Cæſarum, ac Regum, ſine cæleſtis amoris imperio, qui ſolus in CAROLO regnabat, omnibus imperante, mundi Triumphatorem, rerum Dominum, ampliffimæ poſt nata Regna, dominationis, ſecundiſſimis omnibus, ſolo Auſtro ſtante, quaſi decumana inſtarent vndæ, omnia potentiſſimæ fortunæ pretioſa velut impedimenta proieciſſe, & ſceptris, coronis, purpuris, regnis tamquam adora-

tis

tis bullis insultasse, sui iuris factum, atque a Monarchia omnium maximam veluti ab intolerabili seruitute manumissum? Deerat hoc tantum Imperatorum Fœnici, ut inter cineres sacros religiosa pœnitentiæ in Cœnobitico illo Diui Iusti Mausoleo immortalẽ se crearet, postquam omnium victor, & Sui, Palmam ascenderat. Sciebat se terris commodatum ad illarum felicitatem, sed ad sui beatitatem Cœlo natum, æternumque datum esse, ad quod non nisi per calcata terrena ascenditur. Factus est ergo ex Cæsare nihil; maior tamen iudice terrarum, orbe cum nihil, quàm cum Cæsar, cum se ipsum, quàm cum omnes alios Cæsares superauit, tunc amphitheatro vtriusque orbis dignus, cum solus, & omnibus titulis, cum illis eiuratis, ferè exitit sine nomine nullus. Visus est post emensum Austriacis Aquilis victorias ferentibus bicipiti rostro, terrarum orbem, post fixa sub utroque axe trophœa, & calcatas domino pede alternorum marium arenas ipse orbis terrarum angustus Augusto, & quia de cœlo spectabat, lacrymabile punctum, quod magni etiam triumphatores sibi conantur, igni, ferroque diuidere Anatomici infelicium acomorum.

Hic nobilissimus fuit CAROLI triumphus, in quo de se ipso Maximo, quo nihil erat maius in orbe terrarum, triumphauit. Dixisses vitale quoddam mortis tyrocinium, quo se ad immortalitatem inaugurauit. Postquam mori didicit, ne dedisceret hanc scientiarum maximam, demonstrationemque mortalibus potissimam, ferè statim mortuus est. Nullus Cæsarum magis pro dignitate occubuit quam hic suæ dignitatis abdicator.

Aliquid etiam in CAROLO ultra CAROLVM libet cum veneratione admirari potentissimam, & inuictissimam Monarcharum Posteritatem, Regnatricemque; Heroum Sobolem, ac tot titulis, lauris, palmis, Regnisque coronata nomina PHILIPPÆA. Sed ad illos rerum apices humilis calami debilis penna non volat. Atlantes Monarchæ ferè totius orbis pondus ferentes, pygmei laudatoris operam perderent, non solum infra molestantis, sed vix sublimes maximorum Regum Colossos ex imo spectantis. Homericum plectrum poscunt Austriaci Achilles: postulant magni illi Alexandri Phidiacam manum. Interim parce Clementissimam rerum Dominam MARIA ANNA à qua CAROLI gloriæ, & sanguinis Regnatores hæredes votis omnibus, & auspicijs expectamus, si tuum CAROLVM cuius splendoribus explicandis infelicitè sudabunt omnium sæculorum, annales, humili calamo Gigantem dimensus, infra eius pedes venerabundus iaceo. Etiam sol sine magnitudinis suæ, radiorumque iacturâ, in abaco pulueris, radiolo describitur, & ipsos conatus, manumque palmari disco luminum Monarcham infelicitè, ac tenuiter circumferentis, illustrat. Qui CAROLVM laudandum sumpserit, quod ipse sibi inscripsit in magnanimo symbolo PLVS VLTRA scribat, quia plura semper tacebit, quàm eloquatur. Etiam tot plumis, & linguis prædita fama, toti CAROLO elinguis est, & implumis. Hoc vnum orbis terrarum sciat, Carolum ex PHILIPPO Patre Hispano Monarcha, Alexandrum Austriacum fuisse, & magnum, sed ex PHILIPPIS Filio, & Nepotibus, ac ijs, quos continuata sæculorum & Posterorum serie, ita, ut nullus vnquam sit PHILIPPORVM Austriadum numerus, MARIA ANNA spes tot Regnorum Augustissima, dederis, fuisse Maximum, & si quod est maximo maius.

CAROLVS V. MAXIMVS.

Inscriptio.

CAROLO V. ter maximo Heroi,
 Martium, terrarumque, Triumphatori,
 Publica libertatis in orbe veteri Propugnatori,
 Orthodoxæ fidei in nouo Propagatori,
 Rerum Domino, vtriusque orbis Monarchæ
 Cesarum Regi, Regum Casari
 Imperatorũ Romanorum, Græcorũ Germanorum, Potentissimo
 Austriadum Felicissimo,
 A subacta pluribus in Regnis Africa
 Africano,
 At defensa pluribus in prouincijs Europa,
 Europæo,
 A fugata in Solymano Asia
 Asiatico,
 A prælijs Italicis, triumphis Belgicis, bellis Germanicis,
 Italiae Liberatori, Belgij Recuperatori, Germaniæ Domitori,
 A gloriosissimis victorijs,
 Hispano, Insubrico, Saxonico, Hetrusco, Gheldrico, Hungarico,
 Peloponnesiaco, Tunetano, Tremiffeno;
 Quòd Austriacam Felicitatem Imperatricæ Romani Imperij,
 Regnatricem Hispanorum Regnorum
 Orbe nouo domito, in immensum amplificauerit:
 Quòd pyraticam crudelitatem, Turcicam barbariem,
 Indicam superstitionem,
 Hereticam perfidiam,
 Ubique represserit,
 Ad seculorum prodigium
 Inuictissimus, Pijsimus, Fortunatissimus,
 Supra omnem regionum titulorum beatitatem,
 A pro-

*A propugnatis regnis, expugnatis Urbibus,
impugnatis exercitibus*

Σοτήρ, Πολιορκήτης, Επιφανής,

Inter Ahilam, & Calpem,

Quibus deleto Herculeo non plus vltra

Ipsē CAROLUS plus vltra inscripsit,

Supra Alexandri Macedonis, & Iulij Cæsaris fortunam,

Plebs, Equites, Patricij,

Senatus, Populusque humanæ Reipublicæ

Ad immortale omnium mortalium monumentum,

Arcum hunc triumphalem suspendunt,

stupore suspensi.

*Senatus
expugna-
tor urbium
illustris.*

SYNOPSIS GENEALOGICA.

A CAROLO V. MAXIMO

AD FERDINANDVM I.



CAROLVS V. Maximus post orbem triumphatum infinitæ suæ potentia victor, maior cum sui Rex, quam cum Mundi, in gloriosissima Regnorum omnium abdicatione Ferdinando I. fratri per Orangium Principem Erinnyum illam Belgicorum tumultuum, sceptrum Imperij, totiusq; in Germania Austriaci patrimonij, Cæsar transmisit: PHILIPPI vero II. filij Inuictissimi, Potentissimi, ac Maximi Herculeis humeris, Hispanæ Monarchiæ tot regnis, imò & gemino Mundo grauis Iberus Atlas molem imposuit. Hinc bifida Austriaca Domus magno Orbis terrarum bono Imperatrix, & Regnatix ad Septentrionem, & Occidentem, Augustum, Regiumque Solium statuit. Præter PHILIPPVM Hispanum Monarcham, alia magna nomina ex Isabella Lusitana Austriaco-Hispanos fastos hoc ordine nobilitarunt.

CAROLVS V. MAXIMVS.

PHILIPPVS II. FERDINANDVS III. MARIA II. IOANNA II.

PHILIPPVS III.

IOANNES. MARGARITA.

PHILIPPVS IIII. Inuictissimi, Pijssimi, Potentissimi Hispaniarum Monarchæ.

FERDINANDVS III. Hispaniarum Infans obiit in Hispania adhuc impubes, dum CAROLVS Cæsar Rempublicam Belgicam cõponeret. Hunc Regem Belgio destinabat, vnde ad nuncium mortis illacrymantem dixisse ferunt aliquibus Proceribus Belgis. *Ego quidem lugeo filium; at vos amissum lugeate Dominum, & Regem vestrum.* Statuerat siquidem CAROLVS in vnum Regni titulum Belgicas prouincias contrahere, & Regem Belgij Ferdinandum filium natu secandum creare. MARIA II. Imperatrix nupsit MAXIMILIANO II. Cæsari multis alijs titulis Imperatorijs supra, omnes Orbis terrarum sœminas, post natum Romanum Imperiũ clarissima. IOAN-

NA

NA II. Lusitanæ Regina Ioannis Regis vxor fuit, & Magni, sed infelicis Sebastiani mater, cuius sanguine maximi Aui Africanæ palmæ, laureæq; cruentatæ sunt. Eius immaturo obitu nullum Africa nostris sæculis monstrum maius peperit. IOANNES Austriacus inferiore thoro natus, verum impensè a CAROLO amatus, victoria nauali ad Echinadas, ac bello Belgico celeberrimus, & gloriosissimus exitit. MARGARITA eiusdem cum Ioanne sanguinis primum Alexandro Magno Hetruriæ Duci, tum Octauio Parmensi conjugata, demum administrationi Reipublicæ Belgicæ admota, cum summa prudentiæ, & pietatis laude, in annalibus superioris sæculi semper viuet, felicitate prolis in Alexandro Farnesio Belgico illo Marte ferè cum Olympia magni Macedonis matre conferenda: in reliqua heroica posteritate supra illam etiam prædicanda.

PHILIPPVM II. omnes terrarum Orbis partes eloquentur, quæ toti Orbi regendo parem admiratæ sunt, & omnibus suis regnis maiorem. Vt maximum Monarcham supra veteres, nouosque terrarum, mariumque Regnatores crearet, Oriens Occidentisque in vnum conspirarunt, omnibus ventis thesauros ferentibus. Dicitur est sui sæculi Christianus Cyrus prudentia, magnanimitate Hispanus Augustus, ostenditque quantum virtutum ferat Catholici nomen. Si quid defuit PHILIPPO II. mortalitati ipsi nostræ deesse puta, cum absolutissima fuerit Maximi, & pijsimi Monarchæ imago.

In paterno Imperio, nomine, & solio Hispanico, successit PHILIPPVS III. Orientis, & Occidentis Monarcha, a Maurica barbarie, ab Hispanijs proscripita, alijsque titulis religiosissimus, & fortissimus.

Huic ex MARGARITA VII. Austriaca FERDINANDI II. Cæsaris sorore prudentissima, ac sanctissima Heroïna Cælum destinauit heredem Monarcham potentia sapientia, pietate ter maximum PHILIPPVM III. DOMINICVM VICTOREM, implentem magna nomina, & Maiorum maximos titulos, pondusque gemini Orbis sustinentem heroicis virtutibus, cui post Nestoreos annos, serenissimorum liberorum, per sæculorum omnium ambitum, coronam, quæ sola Orbis vtriusque Monarchæ ad omnem felicitatem deest, omnibus Cæli, terræque auspicijs auspicor. PHILIPPO MARIA ANNA vnicus illius amor nuptijs, & numero, & faustitate secundis, desponsata, Austriam, non nisi cum Cæsarea fortuna in Hispaniam, velificantem reuehis, & PHILIPPIS FERDINANDOS Austriadas iungens, religionem potentia, Germanas lauros Hispanis palmis maritas, omnemque coniugem simul felicitatem, aurea fide, & adamantinis nodis æterni connubij. In auspicijs tuis nuptijs, conjugatis simul inter Australia signa dominatoribus, marium, terrarumque principibus Planetis, minimè mendaci coniectura, augurari licet horoscopus summæ felicitatis. Ex te AVGVSTISSIMA SPONSA, & MAXIMO CONIVGE Tuo PHILIPPO Oriens, Occidens, Europa, & Africa CAROLVS maximos, Austria magnos RVDOLPHOS, Germania pios FERDINANDOS, Belgium, & Burgundia felices MAXIMILIANOS, Hispania potentissimos PHILIPPVS, Italia pacificos FRIDERICOS, Orbis terrarum triumphatores, & honorificos ALBERTOS Heroas optimos, & maximos, & si fieri potest parentibus meliores, & maiores, certantibus cum ingentibus auspicijs, magnis votis, expectat.



